

sericordia, non ex meritis nostris, sed forte pro merito desiderii vestri; neque ex facultatibus nostris, sed ex abundantia donorum suorum; ut sic tractetur res satis necessaria hominibus positus in Novo Testamento, ut omnino nullas latebras inveniatur inimicus, ubi se occultet ad decipiendos fideles.

ENARRATIO

IN PSALMUM CXXIV.

Sermo ad populum.

I. PSALMUS iste pertinet ad numerum Canticorum graduum¹, (de quo titulo in aliis jam multa diximus, et repetere nolumus, ne vos obtundamus potius quam instruamus,) docet nos ascendentes et levantes animas nostras ad Dominum Deum nostrum affectu charitatis atque pietatis, non intendere in homines, qui prosperantur in hoc sæculo felicitate falsa atque ventosa et prorsus seductoria; ubi nihil aliud nutriunt quam superbiam, et cor eorum congelascit adversus Deum, et fit durum adversus imbrem gratiæ ipsius ne fructum ferat. Præsumentes enim omnia sibi abundare, quæ videntur huic vitæ necessaria, et ultra quam necessaria, extolluntur: et cum sint homines per iniquitatem inferiores omnibus hominibus, per superbiam superiores se putant omnibus hominibus. Atque utinam vel sicut alios homines se esse deputarent. Hos

¹ Vide. D. Guillon, tom. xxii, pag. 44-55.

autem aliquando intuendo et nimis attendendo, etiam illi qui Deum colunt, fluctuant et nutant, quasi perierit merces eorum quare Deum colunt, cum se vident in laboribus, in egestate, in ærumna, in morbo, in dolore, in aliqua necessitate, et vident alios habere sanitatem corporis, abundare temporalibus, incolumitate suorum gaudere, nitore honorum florere eos qui non solum Deum non colunt, sed et omnibus hominibus adversantur, attendentes eos, nutant, et dicunt apud se quod aperte scriptum est in quodam Psalmo: « Quomodo scivit Deus, etsi est scientia in Altissimo? Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias. » Et sequitur: « Numquid vane justificavi cor meum, et lavi in innocentibus manus meas¹? » Numquid forte vanus fui, qui volui juste vivere, et innocenter inter homines conversari, quando scio eos qui nolunt servare innocentiam, habere tantam felicitatem, et insultare justis per iniquitatem felices?

II. Sed quis illud dixit ibi in Psalmo? Cujus nondum erat rectum cor. Sic enim coepit iste Psalmus, de quo modo testimonium dedimus, non iste quem considerandum et tractandum modo suscepimus, sed ubi dictum est: « Quomodo scivit Deus, etsi est scientia in Altissimo? » Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias. Numquid vane justificavi cor meum, et lavi in innocentibus manus meas? Ille ergo Psalmus, ubi videtis quia periclitatur anima, ubi videtis, quia nutant pedes, sic coepit: « Quam bonus Deus Israël rectis corde? Mei autem, inquit, pene commoti sunt pedes, paulo minus effusi sunt gressus mei. » Quare? « Quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum intuens². » Inde ergo dixit commotos pedes suos et pene effusos gressus, lapsu ad ruinam a Deo, quia intuitus est et inspexit

¹ Psal. lxxii, 12, 13. — ² Ibid. l. 1-13.

felicitatem peccatorum, et vidit eos habere pacem, se autem laborem. Narravit autem hoc, cum jam evasisset, cum jam correcto corde Deo inhæsisset, narravit præterita pericula sua. Ergo, « Bonus Deus Israël. » Sed quibus? « Rectis corde. » Qui sunt recti corde? Qui non reprehendunt Deum. Qui sunt recti corde? Qui voluntatem suam ad voluntatem Dei dirigunt; non voluntatem Dei ad voluntatem suam curvare conantur. Breve præceptum est, ut homo dirigat cor suum. Vis habere rectum cor? Tu fac quod vult Deus: noli Deum velle facere quod vis tu. Pravi cordes ergo sunt, id est, qui rectum cor non habent, qui sedent et disputant quomodo debuit facere Deus; non laudando quod fecit, sed reprehendendo. Corrigere illum volunt: parum est quia corrigi ab eo nolunt; et dicunt: Non debuit Deus facere pauperes, sed soli divites esse debuerunt; et ipsi soli viverent. Ut quid factus est pauper? ut quid vivit? Reprehendit Deum pauperum. Quanto melius esset pauper Dei, et dives esset de Deo; hoc est, sequeretur voluntatem Dei, et videret paupertatem suam temporalem esse, et transituram, divitias autem sibi spirituales ita venturas, ut nullo pacto possent præterire, et haberet in divitiis cordis fidem, si ei non contingit aurum habere in arca? Quia si aurum haberet in arca, furem timeret, et aurum de arca etiam nolens perderet: fidem autem de corde non perderet, si ipse illam inde non expelleret. Cito autem responderi potest, charissimi. Fecit Deus pauperem, ut probet hominem; et fecit Deus divitem, ut probet illum de paupere. Et omnia quæ fecit Deus, recte fecit. Etsi non possumus videre consilium ipsius, quare illud sic fecit et illud sic: bonum est nobis ut subdamur sapientiæ ipsius, et credamus quia benefecit, etsi nondum novimus quare fecit: et habebimus cor rectum, ut præsumamus et confidamus in Domino, et non

movebuntur pedes nostri, et fit in nobis ascendentibus unde cœpit iste Psalmus, « Qui confidunt in Domino, » sicut mons Sion, non commovebuntur in æternum¹. »

III. Qui sunt isti? « Qui inhabitant Jerusalem. Ipsi non commovebuntur in æternum qui inhabitant Jerusalem². » Si hanc Jerusalem intellexerimus, omnes qui illic inhabitabant, bellis et eversione ipsius civitatis exclusi sunt: modo quæris Judæum in civitate Jerusalem, et non invenis. Quare ergo « Non movebuntur in æternum qui inhabitant Jerusalem, » nisi quia est alia Jerusalem, de qua multa soletis audire? Ipsa est mater nostra, cui suspiramus et gemimus in ista peregrinatione, ut ad illam redeamus. Erraveramus ab ea, et viam non habebamus: Rex ipsius venit, et via nobis factus est, ut ad illam redire possimus. Ipsa est illa, « Ubi stantes erant pedes nostri in atriis Jerusalem³, » sicut audistis in Psalmo Canticorum graduum superiore, jam vobis exposito et tractato qui interfuistis: cui suspirabat ille qui cantabat: « Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, » cujus participatio ejus in idipsum⁴. » Qui ergo ibi habitant, « Non movebuntur in æternum. » Qui autem habitant in ista Jerusalem, moti sunt, primo corde, postea exilio. Quando moti sunt corde, et ceciderunt, tunc regem ipsius supernæ Jerusalem crucifixerunt. Jam spiritualiter foris erant, et ipsum regem foras excludebant. Ejecerunt enim illum extra civitatem suam, et foris crucifixerunt⁵. Et ipse ejecit illos extra civitatem suam, id est, æternam Jerusalem matrem omnium nostrum quæ est in cœlis.

IV. Qualis est ista Jerusalem? Breviter describit eam. « Montes in circuitu ejus. » Magnum aliquid, nos esse in ea civitate, quam circumdederunt montes? Ipsa est tota fe-

¹ Psal. cxxiv, 1. — ² Ibid. 2. — ³ Id. cxxi, 2. — ⁴ Ibid. 3. — ⁵ Matth. xxvii, 33.

licitas nostra, quia habebimus civitatem, quam circumdederunt montes? Num enim non novimus montes? aut quid sunt montes, nisi tumores terrarum? Alii sunt ergo montes amabiles, montes excelsi, prædicatores veritatis, sive Angeli, sive Apostoli, sive Prophetæ. Ipsi sunt in circuitu Jerusalem: ambiunt illam, et quasi murum illi faciunt. De his montibus amabilibus et delectabilibus assidue Scriptura loquitur. Advertite cum auditis vel legitis, pluribus locis invenitis montes delectabiles, quam nos possumus commemorare. Verumtamen quantum Dominus suggerit, delectat nos de his montibus multa dicere; et divina testimonia de Litteris sanctis occurrerunt nobis. Ipsi sunt montes qui illuminantur a Deo: et primitus illuminantur, ut ab ipsis lumen descendat ad valles, vel ad colles; quia non tantæ sunt altitudinis, quantæ sunt montes. Ipsi sunt per quos nobis prærogatur Scriptura, sive in Prophetia, sive in Apostolis, sive in Evangelio. Ipsi sunt montes de quibus cantamus, « Levavi oculos meos in montes, unde » veniet auxilium mihi: » quia de Scripturis sanctis in hac vita habemus auxilium. Sed quia ipsi montes non a se proteguntur; nec a se ipsis nobis consulunt, nec spes nostra debet esse in montibus, nec maledicti simus qui spem in homine ponimus¹: jam dixerat, « Levavi oculos meos » in montes, unde veniet auxilium mihi: Auxilium, inquit, meum a Domino, qui fecit cælum et terram². Ipsi sunt montes de quibus item dicit, « Suscipiant montes » pacem populo tuo, et colles justitiam³. Montes magni sunt, et colles minores sunt. Montes ergo vident, colles credunt: qui vident, pacem susceperunt et attulerunt ad eos qui credunt. Qui enim credunt, suscipiunt justitiam: quia, « Justus ex fide vivit⁴. » Angeli vident, annuntiant quod vident, et credimus nos. Joannes ille: « In princi-

¹ Jerem. xvii, 5. — ² Psal. cxx, 1, 2. — ³ Id. lxxi, 3. — ⁴ Rom. 1, 17.

» pio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus » erat Verbum¹: » videbat, prædicavit nobis ut crederemus. Et per montes suscipientes pacem, susceperunt colles justitiam: quia de ipsis montibus quid ait? Non dixit, A se habent pacem, vel instituunt pacem, vel generant pacem, sed, suscipiunt pacem. Unde suscipiunt pacem, Dominus est. Sic ergo leva oculos tuos ad montes propter pacem, ut auxilium tuum sit a Domino qui fecit cælum et terram. Rursus illos montes commemorans Spiritus sanctus hoc ait: « Illuminans tu admirabiliter a » montibus æternis². » Non dixit, Illuminant montes; sed, « Illuminans tu a montibus æternis » Per montes istos quos æternos esse voluisti, prædicans Evangelium, « Tu » illuminans, » non montes. Tales ergo « Montes in circuitu Jerusalem. »

V. Et ut noveritis quales sint montes in circuitu ejus, ubi commemoravit montes bonos Scriptura, valde raro et difficile, aut forte nunquam non et statim ibi nominat Dominum, aut simul significat, ne spes remaneat in montibus. Ecce videte quam multa commemoravi. « Levavi » oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi: » et ne ibi remaneas, « Auxilium meum, inquit, a Domino, » qui fecit cælum et terram. » Rursus, « Suscipiant montes pacem populo tuo: » cum dixit, « Suscipiant, » ostendit alium esse fontem pacis, unde illi suscipiunt. Rursus, « A montibus illuminans. » Sed, « Tu, dixit: » Illuminans tu admirabiliter a montibus æternis. » Item hoc loco cum dixisset, « Montes in circuitu ejus: » ne tu rursus remaneres in montibus, statim subjunxit, « Et » Dominus in circuitu plebis suæ: » ut tua spes non sit in montibus, sed in illo qui illuminat montes. Cum enim ille habitat in montibus, id est, in sanctis, ipse est in cir-

¹ Joan. 1, 1. — ² Psal. lxxv, 1.

cuitu plebis suæ; et ipse muravit plebem suam munimento spiritali, ne moveatur in æternum. At vero de illis montibus malis quando loquitur Scriptura, non eis addit Dominum. Tales montes, jam sæpe diximus vobis, significant magnas quasdam animas, sed malas. Non enim putetis, Fratres, quia potuerunt fieri hæereses per aliquas parvas animas. Non fecerunt hæereses, nisi magni homines: sed quantum magni, tantum mali montes. Non enim montes erant tales qui susciperent pacem, ut colles susciperent justitiam: sed illi dissensionem susceperunt a diabolo patre suo. Montes ergo erant: ad tales montes cave ne fugias. Venturi enim sunt homines, et dicturi tibi, Magnus ille vir, et magnus ille homo: qualis fuit ille Donatus? qualis est Maximianus? et nescio quis Photinus qualis fuit? et ille Arius qualis fuit? Omnes istos montes nominavi, sed naufragos. Videtis quia lucet de illis aliqua flamma sermonis, et aliquis de ipsis ignis accenditur. Si navigatis in ligno, et noctem patimini, id est, caliginem hujus vitæ; non vos fallant, nec dirigatis illuc navim: ibi sunt saxa, ibi naufragia magna fiunt. Cum ergo tibi laudati fuerint isti montes, et cœperit tibi suaderi ut venias ad ipsos montes, quasi ad auxilium, et ibi requiescas; responde, « In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montes sicut passer¹? » Bonum est enim tibi, ut in illos montes leves oculos, unde tibi auxilium a Domino sit, ut evadas sicut passer de muscipula venantium, non transmigras in montes. Passer enim instabilis res est, cito movetur, cito volat hinc et inde. Sed tu confide in Domino, et eris sicut mons Sion, non commoveberis in æternum, et non transmigrabis in montes sicut passer. Numquid ibi sic nominavit montes, ut de Domino diceret?

VI. Sed montes tales ama, in quibus Dominus est. Tunc

¹ Psal. x, 2.

autem te amant ipsi montes, si non in illis spem posueris. Videte, fratres, quales sunt montes Dei. Nam inde sic nominati sunt in alio loco: « Justitia tua sicut montes Dei¹. » Non justitia ipsorum, sed justitia tua. Audi talem montem Apostolum: « Ut inveniar in illo, inquit, non habens justitiam meam quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidem Christi². » Illi autem qui per justitiam suam montes esse voluerunt, sicut Judæi quidam vel Pharisæi principes eorum, sic reprehenduntur: « Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti³. » Qui autem subjecti sunt, sic sunt alti, ut humiles sint. Et quia magni sunt, montes dicuntur: quia vero subjecti sunt Deo, valles sunt. Et quia habent capacitatem pietatis, suscipiunt abundantiam pacis, et inundationem transmittunt ad colles. Modo tamen tu vide quos montes ames. Si vis amari a bonis montibus, noli spem ponere nec in bonis montibus. Nam qualis mons erat Paulus? quando invenitur talis (De magnitudine loquimur hominum.) Tantæ gratiæ quisquam potest facile inveniri? Et tamen timebat ne passer ille in illo poneret spem. Et quid ait? « Numquid Paulus pro vobis crucifixus est⁴? » Sed levate oculos in montes, unde auxilium veniat vobis; quia, « Ego plantavi, Apollo rigavit: » sed auxilium vestrum a Domino, qui fecit cœlum et terram; quia « Deus incrementum dedit⁵. » Ergo, « Montes in circuitu ejus. » Sed quomodo « Montes in circuitu ejus. Sic et Dominus in circuitu plebis suæ, ex hoc nunc et usque in sæculum. » Si ergo « Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu plebis suæ, » constringit Dominus plebem suam in unum vinculum charitatis et pacis, ut qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commoveantur

¹ Psal. xxxv, 7. — ² Philip. iii, 9. — ³ Rom. x, 3. — ⁴ 1 Cor. i, 13. — ⁵ Id. iii, 6.

in æternum, Et hoc est, « Ex hoc et usque in sæculum. »
 VII. « Quoniam non derelinquet Dominus virgam pec-
 » catorum super sortem justorum, ut non extendant justi
 » ad iniquitatem manus suas. » Modo quidem justi ali-
 quantum laborant, et modo aliquando injusti dominantur
 justis. Quibus modis? Aliquando injusti perveniunt ad ho-
 nores sæculi: cum pervenerint et facti fuerint vel iudices,
 vel reges, quia hoc facit Deus propter disciplinam plebis
 suæ, propter disciplinam populi sui; non potest fieri nisi
 ut exhibeatur illis honor debitus potestati. Ordinavit enim
 sic Deus Ecclesiam suam, ut omnis potestas ordinata in
 sæculo habeat honorem, et aliquando a melioribus. Sed
 exempli gratia unam rem dico, hinc conijcite gradus om-
 nium potestatum. Prima et quotidiana potestas hominis
 in hominem domini est in servum. Prope omnes domus
 habent hujusmodi potestatem. Sunt domini, sunt et servi,
 diversa sunt nomina: sed homines et homines paria sunt
 nomina. Et quid dicit Apostolus, docens servos dominis
 suis subditos esse? « Servi, obaudite dominis vestris secun-
 » dum carnem: » quia est Dominus secundum spiritum.
 Ille est verus Dominus et æternus, isti autem temporales
 secundum tempus. Tu cum ambulas in via, cum vivis
 in hac vita, non vult te facere superbum Christus.
 Contigit tibi ut Christianus efficereris, et haberes dominum
 hominem: non ideo Christianus effectus es, ut dedigneris
 servire. Cum enim Christo jubente servis homini, non illi
 servis, sed illi qui jussit. Et hoc ait, « Obaudite dominis
 » vestris secundum carnem, cum timore et tremore, in
 » simplicitate cordis, non ad oculum servientes, quasi
 » hominibus placentes, sed quasi servi Christi, facientes
 » voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate¹. » Ecce
 non fecit de servis liberos, sed de malis servis bonos ser-

¹ Ephes. vi, 5, 6.

vos. Quantum debent divites Christo, qui illis componit
 domum? Ut si fuit ibi servus infidelis, convertat illum
 Christus: et non ei dicat, Dimitte dominum tuum, jam
 cognovisti eum qui verus est Dominus: ille forte impius
 est et iniquus, tu jam fidelis et justus; indignum est ut
 justus et fidelis serviat iniquo et infideli. Non hoc ei dixit,
 sed magis, Servi. Et ut corroboraret servum, hoc dixit,
 Exemplo meo servi, prior servivi iniquis. Dominus enim
 tanta in passione sustinens, a quibus sustinuit nisi Dominus
 a servis? Et a quibus, nisi a malis servis? Nam si fuissent
 boni servi, honorarent Dominum. Sed quia mali servi
 erant, injuriaverunt. Ille quid contra. Reddidit dilectio-
 nem pro odio. Ait enim, « Pater, ignosce illis, quia nes-
 » ciunt quid faciunt¹. » Si Dominus cœli et terræ, per
 quem facta sunt omnia, servivit indignis, rogavit pro sæ-
 vientibus et furentibus, et tanquam medicum se exhibuit
 adveniens: (nam et medici et arte et sanitate meliores
 serviunt ægrotis:) quanto magis non debet dedignari ho-
 mo, ex toto animo, et ex tota bona voluntate, cum tota
 dilectione servire domino etiam malo? Ecce servit melior
 deteriori, sed ad tempus. Quod autem dixi de domino et
 servo, hoc intelligite de potestatibus et regibus, de om-
 nibus culminibus hujus sæculi. Aliquando enim potestates
 bonæ sunt, et timent Deum; aliquando non timent Deum.
 Julianus extitit infidelis imperator, extitit apostata, iniquus
 idololatra: milites christiani servierunt imperatori infideli;
 ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi
 illum qui in cœlo erat. Si quando volebat ut idola colerent,
 ut thurificarent; præponebant illi Deum: quando autem
 dicebat, Producite aciem, ite contra illam gentem; statim
 obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum a do-

¹ Luc. xxiii, 34.

mino temporali: et tamen subditi erant propter Dominum æternum, etiam domino temporali.

VIII. Sed numquid sic erit semper, ut iniqui imperent justis? Non sic erit. Videte enim quid dicat iste Psalmus: « Quoniam non derelinquet Dominus virgam peccatorum » super sortem justorum. » Sentitur ad tempus virga peccatorum super sortem justorum, sed non ibi relinquitur, non erit in æternum. Veniet tempus, quando unus agnoscatur Deus; veniet tempus, quando Christus in claritate sua apparens congreget ante se omnes gentes, et dividat eas, sicut dividit pastor hœdos ab ovibus: oves ponet ad dexteram, hœdos ad sinistram¹. Et videbis ibi multos servos inter oves, et multos dominos inter hœdos; et rursus multos dominos inter oves, multos servos inter hœdos. Non enim quia sic consolati sumus servos, omnes servi boni sunt; aut quia sic repressimus superbiam dominorum, omnes domini mali sunt. Sunt boni fideles domini, et sunt mali: sunt boni fideles servi, et sunt mali. Sed quandiu servi boni serviunt malis dominis, ferant ad tempus: « Quia » non derelinquet Dominus virgam peccatorum super » sortem justorum. » Quare hoc? « Ut non extendant » justis ad iniquitatem manus suas: » ut ad tempus ferant justis iniquos dominantes, et intelligant non esse hoc sempiternum, sed præparent se ad possidendam sempiternam hæreditatem. Quam hæreditatem? Ubi destruetur omnis potentatus, et omnis potestas, ut sit Deus omnia in omnibus². Ad hoc se servant, et hoc corde contemplantes, et adhuc in fide retinentes, et ut videant perdurantes, « Non extendunt manus suas in iniquitatem. » Nam si videant quia semper est virga peccatorum super sortem justorum, cogitant apud se, et dicunt, Quid mihi prodest quia justus sum? Semper mihi dominabitur iniquus,

¹ Matth. xxy, 32. — ² 1 Cor. xv, 28.

et semper servus ero? Faciam ergo et ego iniquitatem; quia nihil prodest tenere justitiam. Ne autem hoc dicat, insinuat illi fides, quia ad tempus potest esse virga peccatorum super sortem justorum. « Non eam relinquet » Dominus super sortem justorum, ut non extendant justis » in iniquitatem manus suas: » sed teneant ab iniquitate manus suas, et ferant iniquitatem, non faciant. Melius est enim injustitiam ferre quam facere. Unde non semper erit? « Quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum » super sortem justorum. »

IX. Hoc cogitant qui recti sunt corde, de quibus paulo ante dixi, qui voluntatem Dei sequuntur, non voluntatem suam. Sed qui sequi Deum volunt, faciunt illum præcedentem, et se sequentes; non autem se præcedentes, et illum sequentem: et in omnibus eum bonum inveniunt, sive emendantem, sive consolantem, sive exercentem, sive coronantem, sive purgantem, sive illuminantem, sicut Apostolus ait, « Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia » cooperantur in bonum¹. » Et ideo sequitur, « Benefac, » Domine, bonis, et rectis corde². »

X. Sicut autem declinat a malo, et facit bonum rectus corde³, quia non zelat in peccatoribus, pacem peccatorum intuens⁴: sic pravi cordis, qui scandalizatur in viis Domini, declinat a Deo, et facit malum, et inescatur dulcedine sæculi, et ea illaqueatus et captus amaras pœnas luit. Declinanti autem a Deo, cujus disciplinam ferre nolit, fit illi per iudicium Dei verus laqueus falsa malorum felicitas. Unde continuo subjungit: « Declinantes autem » in strangulationem abducet Dominus cum operantibus » injustitiam⁵: » id est, quorum facta imitati sunt; quia eorum præsentis lætitiæ amaverunt, et futura supplicia

¹ Rom. viii, 28. — ² Psal. cxxiv, 4. — ³ Id. xxxvi, 27. — ⁴ Id. lxxii, 3. — ⁵ Id. cxxiv, 5.